


TRIGONOMETRIÆ

inter se inæqualia sunt : reliqua duo autem $AGHB$ & $MBKL$ priorum illorum complementa inter se æqualia sunt *per superiora*. Obtinuimus ergò, quod proposueramus : siquidem Parallelogrāmo $ABCD$ Parallelogrammum $MBKL$ æquale construximus supra lineam ML lineæ F & ad angulum BML angulo E æqualem, siquidem Parallelogrammum $MBKL$ Parallelogrammo $AGHB$, hoc autem ipsi $ABCD$ æquatur : æquantur verò etiam lineæ ML & BK datae F , anguliq; BML & GAB dato E .



CAPUT XIII.

De

TRIANGULORUM ET PARALLELOGRAMMORUM mutuis comparationibus.

Pervenimus tandem eò, cujus gratiâ antecedentem Parallelogrammorum recensionem instituimus : ad comparationes nimirum Triangulorum, inprimis verò laterum Triangularium cum Parallelogrammis; quarum comparationum usus infinitus propemodum est & ineffabilis.

Comprehendemus verò omnia sequentibus Theorematis & Problematibus.

THEOR. I. *Quadratum alicujus lineæ dicitur ejusdem POTENTIA.*

Brevitatis Autores studiosi voce **POTENTIA** & **POSSE** crebrò utuntur. Citius enim nec minus certè dicitur : *hæc lineæ potest*